







~~1752~~ 12.  
1752, 34.

DISPV TATIO IVRIDICA  
DECIMA NONA

SELECTIONA IVRIS  
PRINCIPIA

AD

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XII. SPECIMEN III. CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLTV

PRAESIDE

IO. TOBIA RICHTERO

PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM IX. FEBR. A. G. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

IOH. CHRISTIANVS GOTTLOB OTTO,

SORBIG.

LIPSI AE

LITTERIS LANGENHEMII.



12. ~~Handwritten scribble~~

DISPUTATIO IURIDICA  
PRINCIPALIA  
SELECTIORA IURIS

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XIX SPECIMEN III CONTINENS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IO. TORIA RICHTERO

AD BIENN. IX. MDCCLXXI. A. G. N. MDCCCLXXI.

IOH. CHRISTIANVS GOTTLOB OTTO  
PUBLICE VENTILANDAM PROPOUIT

LIPSIÆ





Q. D. E. V.  
SELECTIORVM IVRIS  
PRINCIPIORVM  
AD DIGESTORVM  
LIBRVM XII. SPECIMEN III.

---



§. I.

Iusiurandum calumniae generale, quod in primordio litis, tum partes litigantes, tum aduocati, aliaeque personae, quae in eadem lite simul versantur, praestare tenentur, <sup>a)</sup> pro communi utilitate introductum, et iudici iurandum est. <sup>b)</sup> Hinc iudex illud etiam ab inuitis exigit. Hinc idem a partibus sibi inuicem neque expresse, neque tacite remitti potest, quia nemo iuri pro alio introducto renunciat, <sup>c)</sup> et imp. IVSTINIANVS <sup>d)</sup> constituit: *Sancimus,*

sup

A 2

omnes



4 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

*omnes iudices, licet ex compromisso cognoscant, vigorem suum exercentes, minime pati, tale sacramentum remitti, sed omnimodo hoc ab actore, et a fugiente exigi.* Quodsi vero, ut ita de calumnia iuretur, nec ab ipsis partibus petitum, nec a iudice ex officio iniunctum fuerit, ideo tamen lis instituta ex capite nullitatis impugnari nequit, quia non pro commodo priuatorum, sed pro communi utilitate, iudici et quidem pro compendio litium iuratur. \*) Potest enim iudex, initio statim animadvertere, quod nec actor animo calumniandi moueat litem, neque reus, absque bona fide, reluctari videatur; quo perspecto, ea, de quibus iam constat, iureiurando non debent confirmari.

a) L. 2. pr. §. 1. 2. et 9. C. de iurei. propter calumn. dando

b) all. L. 2. §. 4. C. eod.

c) arg. L. 29. C. de pactis.

d) L. 2. §. 4. C. de iurei. pr. calum. dando

\*) Dissentit LVDOVICI Doctr. Pand. L. XII. T. 2. §. 40. qui tacitam remissionem admittit.

e) vid. all. L. 2. §. 4. et 9. C. de iurei. pr. calumn. dando

Obst. all. L. 2. pr. et §. 4. C. eod.

II.

Neque Germanico neque Saxonico iure, iusiurandum calumniae generale penitus abrogatum est. De illo enim Leges extant \*)

quas



quas aequitas ipsa commendat: de hoc autem res ita est comparata, vt, vbi calumnia metuitur, magistratus eo nomine iusiurandum exigere omnino queat. Nam et Saxonum legislator ita cavit: <sup>b)</sup> damit aber dennoch der Proceß desto mehr befördert, und alle vergebliche Verschleiffungen verhütet werden, so mögen Unsere Appellation und Hof-Räthe, wie auch Hof und andere Gerichte, wenn und so offte sie vermercken, daß etwas von einem und dem andern Part, nur zu vorfchlichen Verzug der Sachen vorbracht, oder vorgenommen wird, ihme zuvor und ehe seinen Suchen statt gegeben, den Eyd für Gesehrde, in Rechten Iuramentum malitiae genennet, auch ohne vorgehendes rechtliches Erkenntniß, aus Richterlichen Ambt, extraiudicialiter, es werde gleich von dem andern Part gesucht oder nicht, auferlegen. Neque hoc per Ordinationem Recognitam <sup>c)</sup> est mutatum: quinimo eius rei exemplum est, si quis iura pauperum impetrare cupit, quo casu iuramentum praestandum, iuramentum calumniae generale vere in se continet.

a) Ord. Cam. Wormat. de ao. 1555. P. I. Tit. 25. 65. 74.  
et Recess. Imp. de ao. 1654. §. 43. 54.

b) Ord. Proc. Sax. Vet. Tit. 33.

c) O. R. Tit. 33.

Obst. all. LL. Saxon. verb. Ob wohl das Iurament. Calum. gen. in unsern Landen nicht bräuchlichen.



III.  
 Iuramentum in litem affectionis, in rebus fungibilibus non habet locum. Quamuis enim fieri possit, vt eiusmodi res tanquam species <sup>a)</sup> iudicio bonae fidei, <sup>b)</sup> cum ob dolum debitoris non restituatur, <sup>c)</sup> ab actore petatur; tamen in litem non solum tunc iurari potest, si modo prolata concurrunt, sed praeterea vt res petita incertam habeat aestimationem, <sup>d)</sup> simulque affectionem recipiat, necesse est. Iam vero res fungibilis facile aestimari potest, affectionemque vix recipit; quare actor eam petens ad iusiurandum affectionis non erit admittendus. Ceterum affectio semper aliquid supponit, vnde illa diiudicari queat <sup>e)</sup>, cum alias quilibet, ob rem quamcunque ultra pretium litem aestimaret: id autem quomodo in re fungibili reperiri possit, plane non apparet.

a) arg. L. 5. pr. ff. d. in litem iurando

b) all. L. 5. pr. eodem

c) L. 1. in f. L. 2. §. 1. L. 5. §. 3. ff. cod.

d) arg. L. 3. ff. eod. ibi: *cum certa sit numerorum aestimatio.*

e) Conf. L. 36. ff. d. bonis libert. add. L. 6. §. 2. ff. de operis seru.

Conf. THOMASTI Diff. de pretio affectionis in res fungibiles non cadente.

#### IV.

Male a nonnullis statuitur, <sup>a)</sup> affectionem quandoque in singulari interesse, a speciali rei resti-



restituendae vtilitate poni, ideoque in litem iurari posse. Etenim ratio quidem, etiam in affectione, habetur eius quod interest; sed vtilitas tantum ea spectatur, quam actor pro arbitrio suo sibi fingere potest. <sup>b)</sup> Hinc et VLPPIANVS <sup>c)</sup> ait: *non enim res pluris fit per hoc, sed ex contumacia aestimatur ultra rei pretium.* Siue igitur subsit singularis rei restituendae vtilitas, siue non, perinde est.

a) vid. BESOLD. Diff. IV. de Iuram. Thef. 2. et 12.

b) conf. TABOR in Tractatu Tractatum Vol. I. diff. de in lit. iurand. Thef. IX. ibique all. DD.

c) in L. 1. in f. h.

## V.

Praestito iureiurando affectionis in litem, etiam de periurio quaeri potest. Is enim, qui ex affectione iurat, falsam non minus affectionis causam allegare, et sic ex mala conscientia contra veritatem iurare, eoque abuti nomine diuino potest. <sup>a)</sup> Huc et facit, quod VLPPIANVS <sup>b)</sup> ait: *Item videndum, an possit iudex, qui detulit iusiurandum, non sequi id: sed vel prorsus absolvere, vel etiam minoris condemnare, quam iuratum est? Et magis est, ut ex magna causa et postea repertis probationibus possit.* Cum itaque iudex ex magna causa ab hoc affectionis iureiurando recedere possit, idem profecto poterit, si peieratum est, cum eius  
rei



rei maior causa periurio vix esse queat. Neque dubito, quin periurus periurio probato, debitam adhuc incurrat poenam.

a) conf. Disp. XVIII. pos. 5.

b) in L. 4. §. 3. ff. d. in lit. iur.

Obst. L. 11. ff. eod.

Dissent. LUDOVICI Doctr. Pand. Lib. XII. T. 3.

## VI.

Iusiurandum in litem veritatis, quo res, quae aduersarii culpa tantum non restituitur, vere aestimatur, adeoque utilitas, quae vere abest, spectatur <sup>a)</sup> ex iure Iustiniano etiam patet: idque ICTUS PAVLVS <sup>b)</sup> aperte probat, quando ait: *Interdum quod intersit agentis, solum aestimatur, veluti cum culpa non restituentis, vel non exhibentis punitur: cum vero dolus aut contumacia non restituentis vel non exhibentis, quanti in litem iurauerit actor.* Ex quibus discrimen, inter veritatis et affectionis iusiurandum, simul satis manifestum est; in illo videlicet utilitatem, quae vere abest, et culpam non restituentis: in hoc autem utilitatem pro lubitu actoris aestimatam et aduersarii dolum spectari.

a) TABOR Tract. Tract. Vol. I. diss. de in lit. iurando Th. 8. et 9.

b) in L. 2. §. 1. ff. de in lit. iur.

Obst. L. 4. §. ult. it. L. 5. §. 3. ff. d. in lit. iur.

Dissent. B. HEINECCIUS Elem. Iur. Ciu. Sec. Ord. Pand. Lib.



Lib. XII. Tit. 3. §. 33. Alios adducit TABOR all. loc. Thef. 10.

## VII.

Conditio causa data causa non secuta, locum habet, etiamsi sub conditione quid datum sit, conditione adiecta non existente. Tum enim conditio illa competit, si id, ob quod datum erat, non secutum <sup>a)</sup> Legique, sub qua dans teneri volebat, haud satisfactum est. <sup>b)</sup> Idem vero casus contingit, ubi quis sub conditione dat, quae non impletur; quare hoc casu dans, id quod dedit, non minus condicere poterit. Male igitur DD. eam conditionem ad casum dati sub modo seu causa finali restringunt, imprimis cum inter modum et conditionem, hac parte minimum, vix aliqua reperitur differentia; <sup>c)</sup> modus namque in Legibus etiam appellatur conditio: <sup>d)</sup> et qui sub modo dat, Legem, cui pareatur, aequè apponit, ac ille, qui dationi suae conditionem adiecit. <sup>e)</sup>

a) vid. L. 3. §. 2. ff. d. condic. causa data.

b) L. 8. C. eod.

c) conf. STRVV. Synt. Iur. civ. Exerc. XVIII. §. 5.

d) conf. L. 3. L. 7. L. 8. C. eod.

e) all. L. 8. C. eod. add. L. 52. ff. de condic. indeb.

Dissentiunt DD.

## VIII.

Qui dedit sub impossibili modo vel conditione animum donandi habuisse intelligitur,

B

tur,



## IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

tur, adeoque datum repetere nequit. De datione sub modo impossibili res clara est, ex DIOCLETIANI et MAXIMIANI imperatorum constitutione, <sup>a)</sup> neque dubium vltimum DD. mouere solent. Sed quod ad dationem sub conditione impossibili attinet, rei veritas ex negotii natura cognoscitur, quandoquidem is, qui Legem impossibilem imponit, nihil dixisse, adeoque pure dedisse ac donasse censendus est. <sup>b)</sup> Accedit quod intuitu nostrae conditionis inter modum et conditionem vix aliqua differentia sit statuenda. <sup>c)</sup> Qui vero contendunt, sub impossibili conditione dantem iocari, principium petere videntur.

a) L. 8. C. de condict. ob caus. dator.

b) conf. Diff. nostr. de impossibili conditione contractum non vitante §. 8.

c) h. Diff. pos. VII.

Dissentiunt multi.

## IX.

Si quid datum est ob causam, hæc autem casu fortuito non secuta sit, quippe promittens, quo minus promissis stare, vi illa fatali fuit impeditus, vtrum condictio competat, inter DD. dudum disceptatum est. <sup>a)</sup> Ego vero totam hanc rem rescripto DIOCLETIANI et MAXIMIANI, <sup>b)</sup> imperatorum penitus



tus confectum esse arbitror. Verba rescripti haec sunt: *Pecuniam a te datam, si haec causa, pro qua data est, non culpa accipientis, sed fortuito casu non est secuta, minime repeti manifestum est;* Non enim hoc loco tantum continetur regula, qua casus fortuitus conditionem cessare facit, sed etiam limitatio, qua conditio datur, vbi promittentis culpa casum praecessit. Quae Legis dispositio iam ex iure Digestorum suam rationem habet, quo promissum pro praestito habetur, quod promittens ob casum implere non potuit; c) vnde contractus hac ratione consummatus, resque non amplius integra est, adeoque nec in se, nec ob poenitentiam, quae iure Romano permessa erat, d) conditioni locus esse potest. Vbi vero promittentis culpa casum praecessit, ibi ob imputationem verus fortuitus casus ne quidem subesse intelligitur; hinc et VLP IANVS, e) eum, cuius culpa causa secuta non est, quod accepit, refundere teneri statuit. Corruit igitur omnis ea de re controuersia inter DD. agitata: corruit etiam STRVVII f) distinctio inter id, quod datum est, vt rursus quid datur, et inter id, quod datum est, vt quid fiat, quia nostrum non est distinguere, vbi Leges non distinguunt.



12 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

- a) vid. BACHOV. ad TREVTL. Vol. I. disp. 22. Th. 2.  
 BRVNEM. ad L. pen. C. de condict. ob causam dator.  
 Alios allegat. STRVV. in Synt. Iur. Ciu. Ex. XVIII. §. 9.  
 b) in L. 10. C. de condict. ob causam datorum.  
 c) L. 3. §. 3. 4. ff. de condict. causâ dat. caus. non sec.  
 d) L. 5. pr. ff. eod.  
 e) L. 5. §. 4. ff. eod.  
 f) in Synt. Iur. Ciu. Ex. XVIII. §. 9.

X.

Vfuræ rei indebite solutæ summo iure ab eo tempore debentur, ex quo accipiens rem indebite solutam esse, compertum habere coepit; tunc enim indebitum esse desinit, et accipiens in mora constituitur: ) moram vero etiam in stricti iuris iudiciis nocere MARCIANVS <sup>b)</sup> docet, cum in his contra morosum in litem iurari possit. Ceterum si aequitatem spectes, non dubito, quin indistincte inter usurium rei indebite solutæ peti queat, quatenus accipiens aliquid commodi inde percepit, quia nemo cum alterius damno locupletior fieri debet, ei autem qui per errorem indebite soluit, non adeo multum imputari potest.

a) arg. L. 18. ff. de condict. furt. et L. 38. §. 1. ff. de solut.

b) L. 5. §. 4. ff. de in lit. iurando.

Obst. l. 1. C. de condict. indeb.

Diff. LAUTERB. Colleg. Pandect. Lib. XII. Tit. 6. §. 10.

XI.

Actor in conditione indebiti non tam errorem quam solutionem, quippe quæ facti



Eti est, probare tenetur. Sed praeterea quoque indebite solutum esse probandum est; *qui enim soluit*, inquit PAVLVS, <sup>a)</sup> *nunquam ita resupinus est, vt facile suas pecunias iactet, et indebitas effundat, etc. et ideo, qui dicit indebitas soluisse, compelli ad probationes, quod per dolum accipientis, vel aliquam iustam ignorantiae causam, indebitum ab eo solutum: et nisi hoc ostenderit, nullam eum repetitionem habere.* Ceterum indebito probato, error soluentis manifestus est, imprimis cum nemo praesumatur liberalis; <sup>b)</sup> hinc inanis est opinio eorum, qui actorem, dicto casu etiam ad erroris probationem obstringunt.

a) L. 25. pr. ff. de probat. et praesumt.

b) Liberalitas est facti, quae ideo praesumi nequit.

Conf. BRUNNEMANN ad L. 1. ff. de condict. indeb. n. 2.  
Dissent. LVDOVICI Doctr. Pandect. Lib. XII. Tit. 6.  
§. 15. ob L. 6. C. de condict. indebiti.

## XII.

Si contrahentes pacti sunt in hunc modum, vt ait SCAEVOLA: <sup>a)</sup> *ex hoc contractu nullam inter se controuersiam amplius esse*, id quidem eodem ICTO interprete, repetitionem illius, quod indebite solutum est, haud impedit. Ex quo facile colligitur, generalem iurium renunciationem non facere, vt conditio indebiti cesset; quilibet enim iuri tantum,

B 3

quod



#### 14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

quod sibi competere compertum habet, aut credit, renunciare potest, quae ratio utriusque assertioni, tum huic nostrae, tum illi SCAEVOLAE communis est. Si quis igitur conditionem indebiti remittere velit, ut eadem in specie renunciet, necesse est, ut renunciantem ea de re cogitasse, pro certo habere queamus. Addo adhuc, ne specialem quidem renunciationem quemquam a conditione excludere, si quis eam futuram remittat; quod quis enim non habet, illud remittere nequit.

a) in L. 67. §. 3. ff. de condict. indebit.

Obst. quod quasi transactum sit, arg. L. 65. §. 1. ff. de condict. indebiti.

#### XIII.

Emendatores illi Legum quandoque tantum ob elegantiam, quam sibi fingunt, emendant, certe ut emendasse videantur, id quod intactum potius relinquendum erat. Ea de re BESTIVS<sup>a)</sup> noster exhibet exemplum, qui VLPIANI<sup>b)</sup> dictum: *Est et haec species conditionis, si quis sine causa promiserit, vel si solverit quis indebitum*, emendatione indigere sibi persuadet. Hic enim, inquit BESTIVS, ego rogatos volo eos, qui sacris nostrae artis sunt initiati, annon putent, Themidis et elegantiae mysteria exigere, ut hic legatur:



tur: *Est et alia species condictiois, si quis sine causa promiserit, vel soluerit quid indebitum.* Quod si negauerint, pergat ille, nolo ego propter vnius litterulae permutationem cum quoquam similitatem exercere, nedum pugnam inire. Optime quidem emendator ille sibi consuluit, quod ea de re similitatem se non exerciturum pollicitus sit; sed eidem egregie iam respondit Excell. NEVHVSIUS<sup>c)</sup> ratus, hoc nimiae elegantiae studium prae se ferre. Ego vero plane non perspicio, quo tandem eiusmodi correctores sint processuri. Nonne tandem emendationem desiderabunt, si Leges litteris non adeo puris et nitidis, aut colore non satis nigro impressae fuerint, idque ad mysteria Themidis pertinere iudicabunt?

a) in Tr. Ratio Emendandi Leges Cap. XXIII. §. 5.

b) L. i. pr. ff. de condict. sine causa.

c) ad BESTIVM all. loc.

## XIV.

Condictio sine causa locum non habet, si quis chirographum dedit, et a creditore rem, quam se accepisse confessus est, nondum accepit. Toties enim condictio sine causa competit, quoties alter meam rem sine omni iure habet: ") id vero dici vix potest, si creditor



16 SELECT. IVRIS PRINCIPIA ETC.

ditor chirographum ex contractu praecedente tenet. Deinde in proposito casu vel querela non numeratae pecuniae, vel condictio causa data causa non secuta, institui potest; <sup>b)</sup> hinc apparet, Leges eiusmodi debitori, qui chirographo subscripsit, rem promissam autem non accepit, iamiam satis prospexisse.

a) vid. L. 1. pr. ff. de cond. sine causa.

b) L. 7. C. de non num. pecun.

Obst. L. 2. L. 4. C. de condict. ex Lege.





ULB Halle

005 372 50X

3



WIP











125

~~1752, 34~~ 12.  
1752, 34

DISPV TATIO IVRIDICA  
DECIMA NONA

SELECTIONA IVRIS  
PRINCIPIA

A D  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XII. SPECIMEN III. CONTINENS  
QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTV

P R A E S I D E  
IO. TOBIA RICHTERO  
PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROE. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM IX. FEBR. A. C. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
IOH. CHRISTIANVS GOTTLOB OTTO,  
SORBIG.

L I P S I A E  
LITTERIS LANGENHEMIIS.

